...ensis Jacobus.

Gasiewski Joan. Nicol. Felix auspicium.

Vladislaus IV

Poloniae Princeps

Paez Theophili: Panegyricus Serenissimo Principi Vladislao — cum theologicae disputationi in academia habitae — interesset — dictus a. 1608.



FELIX AVSPICIVM

Perillustri Magnifico & Adm. Reuerendo Dno.

D. JACOBO VSTIENSI

Sacræ Theologiæ & I. V. Doctori ac Professori Ecclesiarum Collegiatarum S. Floriani & Omnium Sanctorum Præposito &c.

DVM

Rectoratus insignia in Alma Academia Cracouien: capesseret.

à M. IOANNE NICOLAO GASIEWSKI. Collegij Minoris Professore.

OBLATVM.

CRACOVIÆ,

Apud LVCAM KVPISZ S. R. M. Typ:

Anno Domini. 1648.

In Arma Illuſtriſſimæ Domus.



Cùm Maro dixiſti quondam, Iouis omnia plena,
Dic, vbi vidiſti hæc omnia plena Iouis.
Iſta Ducum, Vates, ſi ſidera bina videres,
Hîc benè clamares, omnia plena Iouis.
Aſt ego quando Cruces, duo quando ſidera cerno,
Nil Iouis hîc video; aſt omnia plena Dei.

Ad

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM

DEMETRIVM GEORGIVM
Korybuth in Wiśniowiec & Zbáráź Ducem.

Bonarum Literarum & literatorum amantissimum.

SIt benedicta Trias, Dux & Lux nostra DEMETRI,
Dux in Wiśniowiec, sit benedicta Trias.
Sit benedicta Trias, Ieremiam Patria, talem
Quod reperit, qualem Miles ad arma cupit.
Quem si fortè virum (auertant superi) hostis haberet,
Nos omnes prædam diceret esse suam.
Non ita nos muri defendunt, non ita Castra:
Defendit Genio qualiter ille suo.
Sit benedicta Trias, nacta est quod Patria Achillem,
Qui Ieremias, & Murus ahenus adest.
Sit benedicta Trias, Dux & lux nostra DEMETRI,
Quod sunt Vstensi tradita Sceptra Tuo.
Qui Te semper amat, ceu dignum semper amore,
Ceu gemmam Iuuenum, sit benedicta Trias.
Hoc Duce, & hoc Rectore Academica res bene cedet,
Et Patriæ cedet, sit benedicta Trias.
Sit benedicta Trias, Dux, & Lux nostra DEMETRI,
Gloria Musarum, sit benedicta Trias.

Sit benedicta Trias, quòd Musas dedico tali;
Qui sacer es Musis, sit benedicta Trias.
Quas Tu si Musas (ceu Montis Præses Apollo)
Iucundè accipies; sit benedicta Trias.
Vtq; diu vireas ceu Patria Pimpla Camœnis,
Nostra Camœna fauet, viue, viresce diu.
Quodq; Tibi, Fratri CONSTANTINO, hoc precor ipsum,
Viue, vire, Claræ bina Fenestra
Domus.
Sit benedicta Trias, Dux, & Lux nostra DEMETRI,
Es modò quòd Musæ factus Apollo meæ.
Quòd si miraris, Tibi soli, quòd dico Metra:
Metra tuum nomen nam sitiêre mea.
Es propior metris; ratio est quoq; proxima; namq;
A metris, DEMETRI, nobile nomen
Habes.



ODE



O D E

Ad Perilluſtrem, Magnificum & Admodùm Reuerendum Dominum Iacobum Vſtienſem RECTOREM Vniuerſitatis.



Bſcede Cloto! Tuq́; Aganippidos
Prouiſor vndæ, Pegaſea ſuper
Ceruice vectus, huc iugales
Verte tuos, agilesq́, bigas.
En bina Magnus ſceptra Academica
Et Rector Aulæ, & Dux Iagelonicæ
Prehendit; huîc tu feriantes
Funde Choros, placidosq́; funde
O Phœbe cantus. Nunquid inertibus
Honos habetur? ſacrificantibus
Fere vacunæ denegantur
Iſta viris, rudibusq́; ſemper
Ad alta greſſus claudit inertia.
Ergo canoris vectus oloribus
O Phœbe, non fallax ſagittis
Tela feris fabricare mutis
Accede: telum ponito ſaucium
Pætis timendum ſæpè volucribus
Quin ſume chordas, & rogatos
Fac ſuper aſtra venire plauſus.

Iam iam vagari plurima vidimus
Hæc fata noſtris in penetralibus,
Cum Mors cruento fulta Marte,
Cum Lacheſis furibunda ſæuiît.
Ex tunc atroci Mater inhorruit
Acerba fletu: tum capitis minor
Iam lachrymaturos parabat
Nîl niſi deproperare threnos.
Sed fata poſt, iam Gratia lætior,
Et mille circùm iuncta ſodalibus
Muſisq́; Phœbeoq́; caſtro,
Sedibus in Cracijs niteſcat.
Iam poſt tenebras, exul agat Dolor;
Nec rauca noſtris vox ſonet auribus,
Hinc ira; quæ procudit enſes,
Ater & hinc ferat atra ſecum
Portenta luctus: ſed bona Fauſtitas
Cum luce nobis, & melior ſonat
Vox, VIVE RECTOR, VIVE RECTOR,
Phœbus ait: bene VIVE RECTOR,
At ô Deorum quiſquis amicior
Extunc faueto, & luminibus meis
Frontiq́;, Muſarumq́; fonti,
Fronte niteſce benigniore.
Deſcendit ergò ſol nouus, & noua
Cum luce nobis vox melior ſonat:
Rectore, & accedente Achille
Phœbus ouat face gratiore.

Et

Et quà Mineruæ tecta ſub æthera
Se fronte tollunt, iam dat in intimas
Lux ſe Palæſtras, atraq́; inde
Fata fugat, fugat hincq́, Laruas.
Aſt hîc quis oro? prô ſuperûm fidem?
Dum Phœbus intrat, ſponte tuis, Parens
O Alma tectis cedit á te
Cedit atrox Dolor, vſq́; cedit,
Luctusq́, cedit. quæ furiæ auolant?
Clotone macris iuncta ſororibus?
Quam ponè mœror, quamq́; aduſtæ
Tyſiphonen comitantur vmbræ.
Eheu loquentes? percutimur graui
Telo ſorores, cædimur ah ſtatim.
Hic cum triumphat VIVE, VIVE,
Quid ſociæ faciemus; Eheu!
Sic ſic inani ſemper in otio,
Fruſtra furentes proijcimus minas;
Longùmq́; victuros Dynaſtas,
Cominus aſpiciemus exhinc.
Abſiſte tandem, cede tamen procul
Phalanx Auerni, cede procul Furor:
Per quem dolorum, funerumq́;
Alma Parens ſatis ah ferebat!
Non iam cruento Martis acinace,
Nec mortis aſtu conſpicies graues
Ceſſiſſe Patres; quos vt altas
Stare ſinit Deus ipſe Cedros,

Altasq́;

Altaſq́; quercus, marmor & æs triplex
Imò gerentes cordis in ambitu,
Inter ſeueros ſortis ictus
Non faciles animo moueri
Virtute fulto. O fortia pectora.
Fortes columnæ, viuida Lumina,
Splendore perſtringentia Almo
Inuidiæ, hos oculos, & illos.
O mille duris laſſa periculis
Graſſantis olim corda licentiæ
State ô columnæ, ſtate lumina-
In columen Genitricis Almæ.
Vos vos Aſylum, robur, & inclytæ
Demiſſa cælo ſpes Academiæ;
Vos gaza; vos tutela præſens
Fundere opes animamq́; prompti
Pro Matre veſtra, pro Iagelonicis
Caſtris, dicato pro Capitolio
Muſis, tot attrito potentûm
Viribus atq́; dolis Gigantum.
Durate longos Neſtoris in dies
Vïrtute veſtra; quâ veluti Dij
Votis, perennatura veſtris,
Tempora, temporibus futuris
Nectetis. At Tu vel magis. ac magis
Euecte RECTOR, culmen ad aureæ
Nunc dignitatis. VIVE VIVE,
Innumeros numeros dierum:

In

In longa ducens ſecula, ſecula
Conceſſa raris tam bona, quàm Tibi.
Vexata nullis credo morbis;
Non tamen inuidiæ flagello
Orbata. Cuius quis caret impetu!
Nutritus ipſo ſit licet æthere:
Nam liuor audax, liuor intrat
Cælituûm irreuerenter ædes.
Doctrina ſed Te promouet hæc Tua,
Æquiq; cultus Te Tuus incitat
Ad alta rurſus dignitatis
Culmina, iam toties relicta, vt
Non ſponte ſcandas. I. Pater inclyte
Et Eruditæ Dux Academiæ.
Quo numen, inſtantesq; Patres
Ire rogant, Iuuenesq; poſcunt.
Procede felix: Te Craciæ incolæ
Et magna ſacræ Numina Pallados
Senſére dignum, ſenſit aptum
Sarmaticæ Genius Palæſtræ
Ad ſceptra Regem. Te iuuenilium
Tranquilla ſenſit Turba ſtudentium
Ad ſceptra faſcesq; eſſe dignum
Voce ſonans, geminansq; Patrem.
In Te Quirino dum Capitolio
Sunt ſceptra crebris quaſſa ligonibus
Vt in Columnâ ſpes opimæ
Depoſitis iacuêre ſceptris.

Gaude è ſecundo Nomine & omine
RECTOR Coronæ Rex Academicæ,
Deus tenebit namq; in ORBE.
Tu retine duo in VRBE



Incipis à Crucibus, mea deſinis in Cruce MVSA,
Nec ceſſa, quamuis ſunt tibi vbiq; Cruces,
Hinc Tibi cum gemino Crux triplex ſidere ſplendet,
Hîc tibi ſunt etiam dulcia Sceptra Cruces.